



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

profectus ab actiua vita ad spiritalem. 25

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

carni, sed spiritui seruiat, Deoque obediat, & operetur, non secundum suum propositū siue proprium captum, sed iuxta illuminationem diuinę admonitionis, & eius humanitatis opera. Et in hoc homo per Christi humanitatem, qui in omnibus operibus suis discretissimus erat, rite primam scalam ascendit, atque in virtutum chorę suscipitur, et ab omnibus trium ordinū siue chorę primę hierarchię angelis, quibus scala nostra Christus dñs vndiq; est circūdatus, in timore, amore & virtutū discretionē custoditur. Deniq; hic inferior homo per tres gradus in actiua vita ascendit, vñ iam effectus cū humanitate Christi, per qđ omnia opera eius in actiua vita perficiuntur.

Qualiter ab actiua vita proficiendum sit ad vitam spiritualem. Cap. XXV.

IA M vero adhuc vltterius ascendendum est, in vitam videlicet spiritualem, idque per alteram scalam, quę est anima Christi. Qui enim non proficit, retrocedere necesse habet. Sane qui in bonitate quotidie non crescit, etiam pane quo vescitur, indignus est. Non ergo cessemus proficere, quousque ad supremum virtutis gradum perueniamus: & imitando sponsum nostrum, ad supremum vsque angelorum chorū peringamus, vbi summum atque precipuum bonū absq; intermissione in intimam spiritus abyssum intrat atque lucet. Non enim prius anima quiescere potest. Ibi duntaxat verum est gaudium spiritus, animę pax, & quies cordis. Et sane multa sunt, quę nobis in hoc auxilium præstant. Et tenim pater nos trahit, filius illustrat & instruit, spiritus sanctus dotat & regit, sancta Trinitas ample

LIBER II.

amplexatur, essentialis vnitas introducit, omnes sancti pro nobis exorant, angeli ministrant, & omni tempore nobis assistunt.

De quarto gradu, qui est humilis patientia. Cap. XXVI.

Quartus gradus, per quem in primum vite spiritualis gradum & quartum angelorum chorum, Potestatem videlicet ascenditur, est humilis patientia in omni aduersitate: quæ patientia in aduersis non turbatur in irascibili in sinistro latere constituta, a qua parte tot homini in hunc gradum ascendere volenti subtiles aduersitates occurrunt & accedunt, vt vix credi possit: idque studio & opera diaboli, non vnus tantum, sed omnium qui extra ordinem Potestatum ceciderunt: qui nimirum inuident homini locum illum, extra quem ipsi corruerunt, & multo in ipsum odio debacchantes, multas aduersus eum miras & graues commouent aduersitates. Quicquid autem per seipsos facere nequeunt, hoc per homines efficere conantur, eos præfertim, qui ad inuidiam, iram & odium sunt propensiores: per quos tales sæpe turbationes excitant, vt nesciat homo ille bonus, quo se vertere debeat. Sed in hoc nemo desijci animo debet. Siquidem immensus inde animæ fructus eueniet, si modo in omni aduersitate sua in Deum confugiens, & seipsum comprimens, in interiori illa cruce se distendi permiserint: cum gaudio ferens omnem sui contemptum atque despectionem, sicque dicat: O pie Iesu, si tu Deus maiestatis propter me tanta sustinere,

Q. iij & non